honesta . . . . loco essent, resspexerunt retrò, confessi non ea, quae à bonis didicerant, sed quae . . . . nescio cui Hamelmanno eiusque coniuratis grata esse. His artibus non bonis bona atque optima beneficia consequuti sunt et pro maleficiis haberi debent. Tu vide, ut in doctrina coelesti fundamentum ponas, quod stabile sit ad perpetuitatem. Quod quidem non erit procul quaerendum, quum domi habeas, qui tuum pectus (dum te docilem praestes) rerum aeternarum cognitione complebit. Vale juvenis dilecte et Doctorem istum tuum Clariss. virum meis verbis saluta quàm officiosissimè, scripturam me ipsi ubi vacuus fuero argumentum. Bremae 6. idus Julii 1577.

Johannes Molang.

Cornelio Adriani Timanni f.

Pax Christi.

Felix es, Corneli dilecte, qui tam prudentem habeas patrem, qui a tam bene consulit studiis tuis, qui tibi perpetuus hortator est ad diligentiam discendi, et ad timorem Dei. Si talem monitorem domi habuisset Reinerus Puew. non desedisset Hamburgi otiosus tam multos menses nullam habens rationem preciosissimi temporis, nihilque curans sua studia, quae tam feliciter incepta erant à nobis cum magna fide et diligentia. Non cogitant plerique parentes, quantum ornamentum ipsis allaturi sint filii piè et fideliter instituti, neque ipsi adolescentes queunt intelligere quam utile instrumentum vitae sit vel mediocris eruditio, quam preciosum Dei donum sit tempus juventutis, quod idoneum est ad literas discendas et ad percipiendam veram pietatem. Denique quam alata sit aetas, quàm fugax juventa, quae ubi avolarit semel, redit nunquam. Sed quia haec stul-

284|
[= Arev. a. 17 = Nr. 293]

titia agnata est cordi adolescentis: Deus con-
servat pueris patrem et matrem, quorum
consilio regantur, qui admonendo, objurgan-
do castigandoque illam juvenilem stultitiam
abstergant, qui sua prudentia pueros rerum
imperitos in officio contineant, eosque et ad
discendas honestas artes, et ad portandum
Jesu Christi jugum compellant. Hoc qui non
faciunt parentes, fateantur se nescire libe-
ris imperare, et cito hanc suam negligentiam
corrigant, aut certo sciant se Deo, qui liberos
ipsis dedit, gravissimas olim poenas daturos
esse. Qui autem pueri cordatos habent paren-
tes, qualem cognovi tuum esse patrem: illi
summo studio in hoc incumbere debent, ut quam
optimi et quam doctissimi evadant, sic enim
fiet, ut et Deo creatori suo gratiam referant,
et parentes reverentia, obsequio et gratitu-
dine prosequantur. O beatam domum illam,
in qua sic vivitur. Beatusque est parens talibus
filiis et filii beati tali parente. Contra vero
maledictio et ira Dei super familias, in quibus
neglectu aut indulgentia parentum liberi
sic corrumpuntur, ut neque Deum curent, neque
patrem matremque revereantur. Circiter
idus julii redditae mihi fuerunt tui patris lite-
rae, ex quibus intellexi eum constituisse fi-
lium suum Cornelium nobis remittere instituen-
dum, si modo Deus vitae nostrae fructum
diuturniorem nobis indulgeat, et virgam
irae suae quam multis modis promeriti sumus
reprimat, pestemque ardentem clementer illa
removeat a nobis, ut schola, quae inter paucos

mensis erat florentissimum, nunc autem prorsus
dispersa est, ipsius beneficio rursus colligatur. Cuius
rei simulatque aliqua vobis spes affulserit, facie-
mus tuum patrem continuo certiorem. Tu inter-
ea fundamenta grammaticae diligenter retracta,
domique te contine. Deum orans pro familia
patris tui et nostra. Varlemannus fidelis puero-
rum nostrorum custos discipulos aliquot e mea
familia collegit. Studet apud Senatorem D. Joh.
Campen Nicolai nostri patrem, illic docet eos
magno studio gramm. latinam cum Cicerone
et - - - - - - cum Luciano. Si videbitur
vestris parentibus, tu et Stephanus re per-
dam ...... , poteritis studia commorari
apud civem aliquem honestum, ibi cum meis
familiaribus Varlemannus noster vos exercebit,
donec vobis Deus sine omni periculo reditum
largiatur. Hoc fac ut tuus parens ex me si-
gnificet Stephano eiusque patri, si velit, ut hac
commoditate utar. Vale dilecte Corneli et pa-
rentes tuos cum Stephani parentibus meo nomi-
ne diligenter saluta. Bremae in schola deser-
ta 4 idus Julii 1577.

puerilitatis tuae Rector
Johannes Molanus.

Pax Christi.

285
[= Mscr. a. 7 = Nr. 295]

Hortaris amice Polyander, ut scribam de quae-
stione tot iam pridem hominum literis utrinque
exagitata, idque ad eum virum, cui nunc tempo-
ris omnes, qui modo aliquid didicerunt, ultro
fasces submittunt, quasi desit quod agam, ita me
postulas inexplicabilis negotii viam mihimet
ipsi comparare. Sequar hoc potius, non indul-
gebo contentioni. Nihil minus ingeniis meo
convenit, quod quidem quietum fuit hactenus et
propriis studiis intentum. Tantum ut senem
decet, multis iam annis in Ecclesia Dei caste,